

P O N T.

A. I.

sublata eis , et eorum cuilibet quavis aliter
 judicandi , et interpretandi facultate , et aucto-
 ritate , judicari , et definiri debere , ac irritum ,
 et inane , si secus super his a quoquam quavis
 auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit
 attentari . Non obstante quatenus opus sit ,
 Nostra , et Cancellariae Apostolicæ regula de
 Contra- Jure quæsito non tollendo , aliisque Apostolicis ,
 riis dero- ac in Universalibus , Provincialibusque , et Sy-
 gatur. nodalibus Conciliis editis generalibus , vel spe-
 cialibus Constitutionibus , et Ordinationibus , nec-
 non , quatenus opus sit , dictæ Civitatis Firmanæ ,
 aliisque quibusvis , etiam Juramento , confirma-
 tione Apostolica , vel quavis firmitate alia robo-
 ratis , Statutis , et Consuetudinibus , etiam im-
 memorabilibus , Privilegiis quoque , Indultis , et
 Literis Apostolicis quibusvis Personis , et locis
 sub quibuscumque verborum tenoribus , et for-
 mis , ac cum quibusvis etiam derogatoriis
 derogatoriis , aliisque efficacioribus , efficacissi-
 mis , et insolitis clausulis , irritantibusque , et
 aliis decretis in genere , vel in specie , seu alias
 quomodolibet in contrarium præmissorum con-
 cessis , confirmatis , et pluries innovatis : Quibus
 omnibus , et singulis , etiamsi pro illorum suf-
 ficienti derogatione de illis , eorumque totis
 tenoribus , specialis , specifica , expressa , et in-
 dividua , ac de verbo ad verbum , non autem
 per clausulas generales idem importantes mentio ,
 seu quævis alia expressio habenda , aut aliqua
 alia exquisita forma ad hoc servanda foret ,
 tenores hujusmodi , ac si de verbo ad verbum ,
 nihil penitus omissio , et forma in illis tradita
 observata exprimerentur , et insererentur , præ-
 sentibus pro plene , et sufficienter expressis , ac
 de verbo ad verbum insertis habentes , illis alias
 in suo robore permansuris , ad præmissorum
 effectum hac vice dumtaxat specialiter , et expres-
 se derogamus , ceterisque contrariis quibuscum-
 que . Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
 sub Annulo Piscatoris die 20. Septembris 1740.
 Pontificatus Nostri Anno I.

D. Cardinalis Passioneus.